



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Q. D. B. V.
DISPUTATIONEM ETHICAM

DE

LUDORUM

MORALITATE,

SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTIANI Röhrensees/

Philos. Moral. Prof. Publ. longè celeberrimi,

Dn. Præceptoris ac Promotoris sui

sincerae observantiæ cultu æternùm

devenerandi,

publicè ventilandam exhibebit

in

Auditorio Majori,

Ad D. VII. Februar. Anno M DC LXXVII.

AUTOR & RESPONDENS

CHRISTIANUS SCHUWARTUS,

LUCCA-LUSATUS.



VVITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.



J. J.
PROOEMIUM.



Quod non solum Conversatio se-
ria, verum etiam jocosa suas habeat virtutes,
quibus ad honestatem dirigimur, res ipsa satis
demonstrat, imò, si testes appetimus, eos tam
sacros, quam profanos passim reperire licet. E
sacris omnium locò adduxisse sufficiat longè
sapientissimum Ecclesiasten, qui nos tempori
rectè inservire docet, si quando ridendum, saltandum & ludendum;
aut quando vicissim flendum, & seria tractanda. Quod si profanum
testimonium desideramus, eloquentiæ parens evolvi mereatur, qui in
suo aureo de officiis commentario, lib. 1. perquam eruditè loquitur:
Non ita à naturâ generati sumus, ut ad ludum & jocum facti videamur: sed ad severitatem potius, & ad quadam studia graviora: Ludo autem & joco uti illis quidem licet, sed sicut somno & quietibus careris, tum, cum gravibus seriisq; rebus satis fecerimus. Quæ cum ita
sint, & nos hâc vice de LUDO & ejus moralitate succinctè agere de-
creverimus, Deum Ter. Opt. Max. devotis suspiriis imploramus, ut suâ
gratiâ nobis adesse, & conatus hos juveniles, primitiasq; Philosophici
studii ad felicissimum scopum elementer dirigere velit!

§. 1. Ludos, præter aliajocose conversationi inservire, nemo
forsan negabit, sed quoniam in primordio statim hîc nobis variæ se of-
ferunt sententiæ, dum in his non consentiunt simul omnes, qui, an, &
quomodo cum honestate conveniant ludi, eorum juvabit in limine
sententiam adducere, qui ludorum patrocinium suscipiant. Ubi
quasi chorus ducit S. Thomas, 2, 2, quæst. 168. dicens: *Quod ludus ge-
nere suo licitus, & si moderatus sit ratione, virtus esse possit.* In quam
sententiam alii eunt omnes, qui actum Eutræpelis, i. e. jucunditatis esse
dicunt, constituentis medium in actionibus, pertinentibus ad honestam

A

stam

Mananini recreationem : ut latius idem, *S. Thomas suprà art. 2. post Aristot. 2. Ethic. cap. 6. & lib. 4. Ethic. c. 8.* Eung. m. 1. nimirum quis dicitur à conversione, quia bene convertit dicta & facta in solatium, ita ut Eutrapelia finis sit honesta hominis recreatio. De quibus eruditè differit *Sayr. in Thef. Cas. Consc. f. Clav. Reg. lib. 1. c. 12.* ubi quoq; plures citati videantur, quibus adjungi possunt *Herman. Busenbaum, Medull. Theol. Mor. l. 3. Tr. 3. c. 3. dub. 13.* qui concedit ludum, si adsint debita conditiones. it. *Marrin. Bonasim Comp. Cas. Consc. voce Ludere, Ludus,* qui itidem dicit : ex genere ludum esse naturá licitum. item *Amesl. 5. de Conscient. c. 47. quæst. 6.* qui eodem modò istum concedit, si nullam violationem secum trahat vel religionis, vel justitiæ, vel charitatis. *Heerebord. etiam in Colleg. Erb. Diss. 28. de Urban. sb. 3.* in ludendo virtutem esse rationibus certis affirmat.

§. 2. Sed cum de his nondum liquidò constare possit, nisi penitam naturæ Ludorum habeamus cognitionem, ante omnia hîc definitionem in genere talem damus : *Ludus est actus conversationis jocosæ, quò duo, vel plures, certo locò, & tempore, delectationis causâ, ex contentione, de pecuniâ, vel re aliâ, victoriæ causâ depositâ, vel promissâ decertant, cum spe & periculo ejus acquirenda, vel amittenda.* Ubi paucis ante, quàm ad realem definitionem accessum faciamus, nominalem considerabimus. Descendit verò Ludus, uti haud difficulter apparet, à primitivò suò ludere. Nonnulli autem ludos à Lydiis & nomen & ortum suum trahere perhibent. *Gryphander verò ex Isidoro l. 18. etym. 16.* ait, generaliter Ludum dici à luso, quod juvenes per dies festos solerent ludi exultatione delectare populum, in *Oecon. legal. l. 1. c. 35.* *Laurentius Valla l. 4. Eleg. c. 16.* quandam etiam differentiam insinuat inter Ludum, & Lufum. Ludus, ait, differt à Lufu, sive Lufione. Ludus enim tum periculum, tum spem sibi propositam habet : Lufus nihil, præter meram voluptatem. Quod si verò ludorum species perpendimus, eorum evolvere etyma, res altioris erit indaginis. Aleam enim alii à verbo cognato, quod tamen nusquam reperitur, malè derivant : alii verò ab alia, quasi alea semper sit alia, seu dubia : alii deniq; ex Græciâ quærunt originem, ab ἀλη, quod errorem indicat : alii iterum aliam amant originationem, quibus tamen Græcanica anteferenda. Natalem Ludi Schachorum quidam, ab Hebræis derivant, nimirum ex radice שחך obtexit, sepivit, & שחך mori,

mori, quia ludus iste finitur per Schach & math, nimirum quum rex obfessus, & immobilis efficitur. Quanquam alii potius Schach origine Perficum esse putent. A nobis verò dicitur, das Könizspiel/ oder Schachjabbell.

§. 3. Si vocis ludi homonymiam spectamus, modò ludus opponitur serio, & sic pro quòvis ludicro, ad animi recreationem, vel corporis exercitationem fieri solito, sumitur, quò sensu latinitatis parens, locò superius citatò, vocem ludi usurpavit: modò commutatur cum joco, veluti vice versà nonnunquam jocus pro ludo ponitur: modò spectaculis æquipollet, ferè tamen tum in plurali numerò reperitur, uti patet ex *Justin. lib. 12. c. 3. l. 9. c. 4.* & alibi apud Valer. Max. & Florum: modò accipitur pro ipsò locò, in quo aliquid exercitii fit, aut ad vires corporis, aut ad ingenii acumen pertinens; quemadmodum Ludus Palæstræ, pilæ, literarius, pro locò ipsò, in quò hujusmodi res exercentur, frequenter usurpatur, & qui ejusmodi exercitii præsumt, ludi moderatores ac magistri nominantur. Nos verò sumimus in præsentì pro actu conversationis jocose, ex spe lucri, & periculo damni, de quò ludentes antè convenerunt, delectationem pariente.

§. 4. Circa definitionem realem notamus (1) Genus, quod est actus, quia ludis & conventionem, & certamine absolvitur; ubi verò certamen, ibi actio, sive expressa, sive tacita ludentium. Quoniam verò hoc genus nimis latè patet, aliquà differentià genericà erat coarctandum, quod fecimus, dum Ludum actum diximus conversationis jocose, quò ipsò ab actibus veracitatis, quæ conversationem moderatur seriam, differt; cum joco autem, qui æquè ad Urbanitatis objectum refertur, hætenus convenit. (2) Differentiam, quæ desumitur (α) à causà efficiente, quam alii Lydios nominant, sed nos potius esse dicimus duas, vel plures personas simul ludentes. Debent verò tales personæ esse idoneæ, & ad ludum habiles, non verò ineptæ, ut pueri, qui sui non sunt juris, nec, quæ sibi bona, intelligunt: nec non furiosi & mente capti, quippe qui cum pueris nullum rationis usum, sed mentem corruptam habent: deniq; ebriosi, qui & ipsi furiosis simillimi, & rationis usu destituti sunt. Nec licet cum pupillo ludere, bonaq; ejus lucrari, cum iste in suâ ætate nec velle, nec nolle habeat. De filiis familiaribus ita habendum, eos non posse ludo exponere eam pecuniam, aut res, in quibus disponendi facultatem non habent. Qui enim rei Do-

minus non est, eandem alienare non potest, atq; sic nec de eâ ludere. Põtest tamen aliquid de suo peculio ludo exponere, & retinere sibi lucrum, quod exinde acquirit, veluti etiam eidem decedit, quicquid ludendo perditur. Clericis eõdem modõ vix ludum omnem vetamus, si modõ justas ludi circumstantias observent, & recreationem, non lucrum fordidum intendant.

§. 5. (B) à materiã, quam in nostrã definitione damus, & potissimum est objectum, seu res, de quã luditur, quæ pecuniæ nomine exprimi solet. Quam vocem tamen hoc locõ non sumimus strictè, quatenus numeratam denotat: sed etiam latè & generaliter, pro omni facultate nostrã, quam possidemus. Ubi non absre mihi videtur esse, mutuari prædicti Sayri verba: *Sicut alias animi recreationes moderatõ pretio pro cuiusq; statu procurare licet, ut venationem, piscationem, & similia: ita nonnuquam licet, imò & virtus esse potest, pro pecuniã ludere. Et quæmadmodum in cibos honestos, quibus resocillatur corpus, sumtus erogare licet: sic cum & iustus quoq; animus vegetetur, & corpus, non est, cur & in illis aliquid quandoq; expendere non liceat.* Verùm cavendum est, ne excedamus in educendis pecuniis. Justè enim sancitum est in jure Saxonico nostro, & in Ordinat. Pol. de anno 1612. vom Spiel: daß Felner vom Adel auff einmah: Aber 1. Reichssth. / ein vornehmer Mann, / so Bürgerliches Standes ist / über 12. gr. / und ein Handwercksmann über 4. gr. / ein Bauer aber über 1. gr. verspieler. Qui verò tale sanum mandatum transgressus fuerit, avaritiæ, non delectationis gratiã, ludit, & sic tam contra legem naturæ, quia cum alterius damno ditescere cupit, quàm contra expressum jus divinum, quod labore, non ludo vivere jubet, graviter peccat.

§. 6. (γ) à formã: quæ consistit in certamine, ad præviam contentionem instituto, quõ ludentes pugnant quasi de præmio, s. pecuniã, in medio positã, & victori attribuendã. Probè verò hic attendendum ad modum, tempus, locum, & alias circumstantias. Modus adhibendus est in ludo certus, juxta illud Horatii:

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,

Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Unicuius pro fortunæ favore suum tribuatur, nec in eo adhibeatur fraus & dolus, nemo invitus ad ludendum trahatur, sive per apertam
violenti-

obstantiam, sive per ejusmodi preces & verba, quae alioquin suffundunt roborem, nisi quis ludat, sed cuilibet pro libitu liceat ludere, ve
omittere; non ludo immisceantur blasphemiae, & maledictiones, &
alia hujusmodi, quorum ludus solet esse ut plurimum causa. Bene e-
nim Cicero l.c. monet: Ludendi est modus retinendus, ut ne nimis o-
mnia profundamus, etiam, voluptate in aliquam turpitudinem dila-
bamur. Porro, ratione temporis, non omni tempore ludo indul-
gē concessum est, sed potius, ubi laboribus, qui nobis ratione officii
incumbunt, honesta datur respiratio. Et ut olim certi & statim erant
dies, ita à nobis adhuc hodie id observandum, & ludos praestat profa-
nis, quam sacris exercere diebus, ne inter concionandum, dum alii
verbum Dei audiunt, ludicris rebus operemur. Et si forsan aliquod
ludi exercitium permittitur die dominicā, fiat finis sacris, uti apud
nos ars sagittaria, seu Sclopetaria, das Schießen nach der Schießen
oder Zeichen. Loci quoque ratio hic habenda est; illo autem sitpo-
tius privatus, quam publicus, potius profanus, quam sacer & religio-
sus. Nec in hoc consentimus cum saepe citato Sayro, qui etiam in
templis & sacris locis ludos permittit quietos, nimirum si quis luda-
ret ibi ex causā rationabili, ad Schachos puta, si aliqua necessitate in-
firmum ibi ludore oporteret, ne alioquin dormiat, aut si tempore belli
aliqui in Ecclesiā inclusi essent, & sani indigerent excussione otii per
aliquem honestum & quietum ludum, tunc, inquit, nullum omnino
esset peccatum. Sed quae Deus semel sibi sacravit, homo ne prophane-
ret, imò tunc temporis magis orandum, quam ludendum. Tandem
ludis non immisceant obscena, vel irreligiosa, cujusmodi videmus ce-
lebrasse Israelitas in deserto. Exod. 32.

§. 7. (d) à fine: qui est partim animi recreatio honesta: verum
 enim est illud Poëtae:

Quod caret alternâ requie durabile non est.

Et tritum hoc:

Interpone tuis interdum gaudia curis,

Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

Ac proinde perpulchrè de exercitio & recreatione ludi discuntur sape
 laudatus Sayrus l.c. *Entropelia finis sit honesta hominis recreatio.*
Ratio hujus est, quia omni homo ex animâ & corpore consistit, sicut ho-
mo quoad corpus indiget corporati quiete, quia continuò labore non

potest, eò quod virtutem finium habet, qua determinatis laboribus proportionatur: partim lucrum: sicut enim lucrum in aliis commutationibus & contractibus est concessum, ita etiam in ludo delectationi superaditum non est male. Omni etiam pugnanti præmium cum victoriâ conjunctum dulce esse solet. Langvet enim animus, si nihil inde speret. Absint verò fraus & dolus à ludo, ex quibus alioquin jura justitiæ læduntur.

§. 8. Explicatâ definitione, devenimus nunc ad ludorum divisionem, ubi constat, illos dividi in publicos & privatos. Illi in theatris olim & amphitheatris, in huic usum constructis, peragebantur, quorum prius pars dimidia erat circuli, in quò stantes conspiciabant, posterius quasi duo theatra continebat, ad ludos venatorios, aliosque majores comparatum. Finis eorum potissimum erat duplex, partim quò Deos pro suâ religione venerarentur, de quibus pluribus *Valer. Max. lib. 1. de religione*, item *lib. 2. c. 10.* agit: partim ut principes vel magistratus subditorum suorum favorem sumptibus haud exiguis venarentur & plebem à novarum studio rerum avocarent. Hi verò, scilicet privati, aliis in locis vel plateis fiebant, præcipuè in conviviiis privatis, & aliis conversationibus: de quibus & nobis potissimum h. l. sermo est. Aliàs communiter veteres dividebant suos ludos in gymnicos, Circenses, Gladiatorios & Scenicos. Gymnici fiebant velocitatis ac virium gloriâ, quorum iterum 5. dabantur genera, nempe saltus, cursus, disci jactus, pugillatus, & luctatio. Unde Græcis *πυγμαθλον*, Latinis Quinquertium dicebatur: de quibus, si lubet, phura videri possunt apud Mercurialem, Bulengerum, P. Fabrum, Lipsium, aliosq; Antiquitatum Scriptores. Circenses, ut brevi dicam, in circo in honorem Deorum exhibebantur. De quibus *Valer. Max. l. c.* Gladiatorii in amphitheatro & arenâ peragebantur, ita ut vel homines inter se pugnarent, vel cum bestiis, & hi vel damnabantur ad bestias, ut servi propter delictum, vel sponte quæstus ergò cum iis pugnabant, de quibus iterum vide *Valer. Max. lib. 1. de prodig. it. Florum l. 3. c. 20. §. 3.* Scenici tandem in teatro & scenâ habebantur.

§. 9. Porro Ludi privati dicuntur esse vel solius fortunæ, vel solius artis, vel ex utrisq; mixti. Ludi fortunæ ex ejus ancipiti & fragili eventu dependent, & potissimum habentur pro illicitis, præsertim, cum lucri & quæstus causâ suscipiuntur. Huc verò spectant varia genera

nec ludii charitativa uisoria sunt, quæ ferre, uti arena naris, & stellas
 in cædo, innumerabilia sunt. Nullus enim pagus, nullum oppidu-
 lum diapne, quod non certum ludendi genus sibi excogitat. Et licet
 in hoc ludo concedendum, eret & industria aliquando iuari posse lu-
 sorem, si nimirum collusori non æquè fortuna favet, ac præterea in
 hoc non admodum exercitatus ludit, tamen hoc fit per accidens, & ad
 rei essentiam parùm confert. Ut ita verum maneat istud: Ludum
 charitarum de perlarum magis cocam fortunam, quàm artem iuvare.
 Huiusmodi Ludus quoq; est, quem fritillum vocant, durch den Tisch-
 tet spilen/ item ludus abax, vel tesserarum.

§ 10. Si verò Ludos ad ingenii aut corporis exercitationem
 factos perpendimus, multò majorem usum se cum afferunt, quàm præ-
 dicti, quod in iis arti & industria multum, fortunæ parum, vel nihil re-
 lictum arbitrii sit. Requiritur tamen ad illos (1) virtus, (2) ut absit fraus.
 (3) ut tempore lociq; fiant congruis. Ad quam classem referimus
 ante omnia Ludum Schachorum, das Schachtspiel/ de quo *Seyrus l.c.*
 ita gloriatur: *Ludus Schachorum communiter se cum moderatam af-
 fere recreationem, citra ulla pericula blasphemiarum, juramentorum,
 mendaciorum, doli & fraudis, & consumptionis bonorum, & huiusmo-
 di, qua in usu aliarum ut plurimum imminet: Ludus enim Schacho-
 rum communiter neq; scandalo est, neq; juramenti, neq; bonorum
 contemptum notabili nocumento expositus.* Dicitur aliàs Ludus
 hic originem ducere à virò sapientissimo quodam, nomine Xerxe,
 qui cum Tyrannum sui admonere vellet officii, idq; non auderet aper-
 te, fecit per huiusmodi laude dignum Ludum. Aliàs, quod auditu
 jucundum, commemoratur de incolis pagi cujusdam, nomine Stopp-
 fe/ prope Halberstadium siti, eosdem huius ludi peritissimos esse, ita
 ut vel exercitatus in hoc vincant. Prudenter tamen de istâ ho-
 nestâ & ingeniosâ ludendi ratione monet *Castilio in Curiati, seu Auli-
 co, lib. 2. p. 130. in eâ hoc animum fugiendum esse, ne nimium in eâ scire
 videamur. Qui quis enim, pergit, in illâ reliquâ præstare studeat,
 tantum in eadem studij atq; temporis necesse est imponere, quantum
 scientia cuiquam eximia sufficeret: & cum omnia curiosè cognove-
 rit, ludere tantummodo didicit. In eo itaq; id usu evenit, quod no-
 rōsamè perficitur, nimirum mediocriter scire melius esse, quàm valde
 præstare.* Huic succedit ludus pilæ, quò sæpè maximè viri delectati
 sunt.

fecit. Legimus enim de Socrate, teste *Valerio Max. lib. 3. c. 8.* quòd cum pueris se in hoc exercere non erubuerit. Idem de Tarentino, Alexandro, Macedone, & aliis commemoratur. Imò cana Antiquitas hoc nobile exercitii genus juvenibus libenter & consultò concessit. Unde *Marsioli lib. 14. epig. 47* ita canit:

Ite procul juvenes, matris mihi convenit ætas,

Folle deoerpueros ludere, Folle senes.

Nobis Germanis quoq; hujusmodi ludus haud ignotus est, dantur verò variaz ejus species, referente Sprengero; *Backet-Ball / Hand-Ball / Stecken-Ball / Kreiß-Ball / Gruben-Ball / Luft-Ball mit etner Hölzern Prigschen / Ballon / so mit Bracial geschlagen wird.* Præterea hùc referri potest Ludus globi, das Woseln / & illa species, quæ vocatur die Bilsentoffel / qui in univesum ad corpus, imò & ingenium acendum, exercendumq; non parùm profunt.

§. 11. Tandem ad ultimam classem, scilicet mxtorum, qui partim suum esse habent à fortunâ, partim verò ab arte, transgredior, quorum quidam referunt ludos equestris, aliàs torneamenta dicta. Quæ species adhuc hodie in aulis principum non admodum inusitata est, ubi civium, nobiliumq; exercitium instituitur. Sunt verò ars jacularia, certamina equestria & militaria, ad quæ tantùm nobilibus aditus patet. A nobis dicitur, turtler n / tiugrennen. *Gryphlander* l.c. inquit, *habere ludum istum ortum suum ab Æcæâ, qui autor hujusmodi ludi primus fuerit, de quo Virgil. lib. 1. Æneid. Indeq; renovatos esse ab Henr. Aucupe in Germaniâ.* Dantur quoq; præterea quædam certæ species in chartarum lusoriarum exercitio, quæ partim in casu, partim in industria positæ sunt, & jure optimò hùc referri possunt: uti apud nos est das Piquetspiel / & in aleâ das Werfchren.

§. 12. Hi ludi verò omnes in præsentî negotio considerantur, vel in abstracto & ex se: vel in concreto, & cum certis circumstantiis. Priori modo utiq; licitus est ludus, scilicet ex se & suâ naturâ consideratus. Posteriori autem modo sæpissimè ludi fiunt illiciti, quatenus ex circumstantiis eos consideramus. Fiunt enim mali & illiciti ex affectu ad malum, & quidem ratione molli, si admittantur facta, aut dicta prava, ut convitia, blasphemiaz, cæles, &c. item quando concurrunt doli & fraudes contra leges ludi incepti; quando alter dolo, aut vi, aut metu pertrahitur ad ludum; quando intervenit irreverentia,

contra

contra Deum, quando lusus exercetur cum eo, qui non potest pecuniam ludo exponere, vel donare, vel alienare, & ratione periculi alicujus notabilis nocuenti. Fit itidem malus ratione intentionis colulorum, quatenus non recreationis & oblectationis causâ, aut præmiâ justî & mediocri, sed injusti & notabilis quæstus gratiâ lusus fit. Tunc enim quilibet lucri est cupidissimus, & quando illud non adipiscitur, convitia, dirasq; execrationes expuit, ita, ut sæpè à verbis ad verbera deveniatur. Præsertim si summa, aut depositum, quò de certatur, nimis grandis: uti pluribus testatur *Martin. Bonacin. in Comp. Cas. Consci. sub lit. L. item Excellent. Du. Pras. in Colleg. Esbic. de Liberal.*

§. 13. Ex his igitur omnibus jam satis apparet, ludum in abstracto, ex se & suâ naturâ nequaquam esse in vitio ponendum, & tantum abest, ut sit malus, ut potius sit licitus, imò ipsius Urbanitatis actus. Si enim non injustum est, alteri sua bona, vel aliquid pecuniæ dono dare, quare etiam non liceret sub certâ conditione, & quidem honestâ, aliquid deponere, & de eò quasi certare? Cum lucrum etiam in aliis concessum & licitum sit, utpote in mutuo, & contraçtibus hujusmodi aliis, quare per ludum honestum aliquid lucrari vapulet? Præterea homo non ferreus est, ut infinite & perpetuò laborare possit, ideò licitæ, imò necessariæ sunt recreationes & oblectationes, quibus sese quasi refrigerare potest animus humanus, ut postea eò alacrius laborem suum aggredi valeat. Accedit etiam id, quod uterque lusorum suâ sponte deponat, & quisq; lucri & depositi fortunæ favore capax fieri possit. Uti eruditè in his nobiscum sentit *Pufendorff. l. c. Ludus*, inquit, *nihil in se naturaliter continet iniqui: nam & mutuo consensu ad eum delcenditur, & userq; rem suam equali periculo exponit, & versantur circa res proprias, de quibus utiq; disponere penes nos est. Accedit his, quòd in ludo cujuslibet animi affectus & animus nobis pateat, & qualem amorem erga nos foveat, ludi exercitio appareat. Vide etiam *Sayr. l. c. & Wendelin. Phil. Moral. p. m. 963.**

§. 14. Sed verò alii exinde nobis opponere solent, ex ludo omnîs generis mala, utpote quæ toti decalogo adversentur, tanquam: ex fonte quodam promanare, nimirum contra primam decalogi tabulam agi, quòd lusores exercitati ex ludo unicè vivere quærant, & quasi pro Deo agnoscant, quòd blasphemias, maledictiones expuant, sacros negligant conventus, & dum alii coficionibus sacris atten-

dunt, ludo operant denr: Contra secundam, quod parentibus & dominis suis sua eripiant, & ludendo perdant, quod sapennumero à verbis ad verbera veniant, imò se invicem interficiant, cum amassis varia ludorum turpia genera peragant, proximo suam pecuniam quasi ex marsupio vi auferant, & hujusmodi alia scelera perpetrent. Verùm hæc si valeret argumentatio, etiam sol, vinum, aurum & hujusmodi per se non mala & utilia è medio tollenda essent, cum etiam homines multi solem adorare sint soliti, imò vino & auro sæpe abutantur. Manet igitur tritum :

Ufus habet laudem, crimen abusus habet.

Et sic hætenus recensita flagitia potius ludo in concreto adscribenda, vel lusori, qui ludo nimis abutitur, seu aliquid mali superaddit: deinde principium petunt, dum ea nobis objiciunt, quæ ludo accedunt per accidens, non verò ludi essentia per se adherent.

§. 15. Nunc nos quoq; speciatim convertimus ad ludos Scenicos; quos summorum virorum svasu minimè abrogandos, sed potius certò modò tolerandos, & laudandos esse putamus. Nam cum cæteri ludi nos defessos labore reficiunt, certè id faciunt ludi scenici: quoniam, collatione factà, nullum reperietur exercitium, quod liberalia ingenia, in ætate juvenili præprimis, magis deceat & delectet, quàm comicum. Totus homo, & totum hominis mirà recreatione ludis istis afficitur. Animus lassus Musicis concentibus, qui semper adhiberi debent, quasi vivificatur, intellectus cognitione rerum jucundarum: phantasia perceptione specierum pulchrarum, voluntas & appetitus motione affectuum, oculi visione objectorum lætabilium, aures auditione hystoriarum admirabilium summè & maximè reficiuntur, teste *B. Meisnero, Phil. Sobr. part. 1. sect. 2. c. 4.* Et quidni illos spectare & peragere liceat, cum ipsa S. Scripturæ monumenta tales nobis metipsis præbeant, uti Theander noster Lutherus docet in suis scriptis & annotatis verè aureis super Hiob, Tobiam & Judith. Quantum emolumentum deinde tam actores, quàm spectatores ex illis percipiunt, vix verbis satis describi potest: Agentes enim exinde addiscunt, gestus decentes, vocis vultusq; decoram moderationem, memoria, cognitioniq; insigniter consulunt, affectus domare addiscunt, dum virtutes sectari, vitia angue pejus fugere docent. Aspectantes parile, imò multò majus commodum ex eisdem hauriunt, dum hæc ratione virtu-

tis

-fis emolumentum, vitiorum detrimentum quasi vivis coloribus depin-
 gi vident, nec non in multarum antiquarum rerum & historiarum no-
 ticiam perveniunt. *Et si de virtutibus faciendis, & fugiendis præcepta
 tuto legi possunt, quidni eadem audiri, aut visa per virtutum vitio-
 rum, quâ voce, quâ gestu representationem, uti fit in ludis scenicis,
 honestè, licitè, & tuto audiri aut videri possunt, inquit Heerebard. l. c.*
 Nam ut *B. Meisneri* verbis utar: *Si decies, vel quinquagies ebrietatis
 deformitatem & enormitatem exaggerari audieris, non ita eam de-
 testaberis, quàm si semel duntaxat in theatro ebrium, varia facinora
 suscipientem, seq; commaculantem videris. loc. cit.* Cum quibus etiam
 consentit *Gryphiand. l. d.* qui iisdem ita suam laudem tribuit: *Ludi Co-
 mici honesti sunt, & suâ laude digni, utpote ex arte poëtica profecti,
 tum ad erudiendam juventutem, tum etiam ad oblectandum & con-
 diendos animi labores &c.*

§. 16. Verum enim verò quantumvis Calviniani, adversarii nostri,
 videant, nihil nostro asserto verius esse, nihilominus tamen nobis con-
 tradicunt. Antequam verò eorum contraria argumenta refutemus,
 breviter repetimus datam distinctionem in §. 12. ubi distinguebamus
 inter Iudæ abstractè, & concretè acceptos: nos, quando h. d. comicos
 ludos concedimus, eos sumimus priori modò, qui, licet rarò sine nævis
 fiant, sufficit tamen, quòd ita peragi possint. Deinde tria semper in
 ludis scenicis occurrere debent. (1) honestus finis, ut fiant in honorem
 Dei, religionis ædificationem, & proximi utilitatem. (2) materia ho-
 nesta & fructuosa, quæ vel biblica, quæ ut plurimum locum habere de-
 bet, vel profana, quæ proficua spectatoribus esse debet, & oculis, auri-
 busq; Christianorum digna. (3) Personæ agentes, quæ liberæ esse de-
 beant ab omni levitate, scurrilitate & obscenitate; non autem his vi-
 tiis affines, & morionum scurrilitatibus impletæ, de quibus mox ali-
 quid dicturi sumus.

§. 17. Argumenta autem, quæ nobis Adversarii opponere so-
 lent straminea sunt, præcipuè illud, de vestimenti mutatione quod ur-
 gent, ubi *Deus Deut. 22. v. 5.* prohibet viros induere indumentum fo-
 minarum, & contra. Loquitur enim Moses ibidem vel de mutatio-
 ne vestium, quæ sit proximi decipiendi gratiâ, vel de politicâ conversa-
 tione, in quâ debet esse externum sexuum discrimen per vestes. Ma-
 le autem trahunt adversarii dictum ad ludos scenicos, in quibus animi

causis, non fallendi proximum, aut sextus confundendi ergo vestes mutantur. Coetera dubia de profanatione nominis divini, de spectatorum scandalisatione, loquuntur de ludis Scenicis concretè, non abstractè acceptis, de ludis theatralibus illicitis & in abusu constitutis, quos & nos ipsimet confutamus & improbamus, non autem de veris comœdiis. Loquuntur illi de facto, nos de jure: illi de eo, quod fit per accidens & ex abusu; nos verò de eo, quod fit ex se, & ex rei fluit essentiali, & legitimo usu. De quibus omnibus vid. *B. Meisn. d. l. it. Heerebord. Coll. Esb. l. c. & Excell. Dn. Praef. in dissert. de Urbanis. §. 19. 20. 21.*

§. 18. Improbamus verò & reprobamus communium mimorum ludos theatrales, quorum actio minimè Urbanitati correspondet. Illi non intendunt Dei gloriam, uti de jure deberent, nec proximi commodum, sed levitatis & quæstus causâ tales ludos suscipiunt, quibus potius nomen Dei profanatur, dum gentilium Deorum & Dearum, Martis, Jovis, Junonis, Dianæ, Veneris & aliorum gentilium Deastrorum & Deastrarum personas; imò & vitia sistunt, quibus Christianorum piorum & oculi & aures læduntur. *Quod si materiam sacram proponunt, id cum mero scandalo præstant, uti eruditè meminit Adrian. Heerebord. l. c. Spectantur comædia plerumq; cum conjunctis vitiis, quales sunt rusticorum in pagis, civium multorum in urbibus, & circumforaneorum maximè histrionia, qui omninò damnandi, quia in eis saepe tractatur argumentum ex sacris bibliis, sed verbum Dei non est datum, ut sit histrionum materia, quia saepe scurrilia, indecòni, turpia representantur, audiuntur, quia nomen Dei temerè saepe invocatur & jumentis profanatur.* Si porrò ex profanis thema proponunt, plerumq; vitiis est inquinatissimum, in quò rarissimè honestatis curam agunt, imò turpi dediti sunt lucro, rem totam ad spectatorum componunt risum, scurrilitati magis, quàm honestati inservientes, impudicitiae causam præbent, & oculos auresq; piorum offendunt. Quò factò actiones theatrales, intempestivâ, obscœnâ, impudicâ, scurrilitate, vociferatione, & obscœnitate abominabiles & illicitas reddunt, seipsos quæstus causâ publicè prostituunt, & diversas provincias ex mera lucri causâ perreptant, quare etiam tandem histriones, seu moriones isti pro turpibus personis sunt habiti, quos, tanquam infames, quando testimonia famæ suæ apperunt, rejiciunt. Unde etiam tales propriè jocularores seu moriones vocantur. Et sicuti urbani joci & gestu

gestus, qui in Doctorum libris, scriptis & sermonibus videntur, valde laudantur, ita hi, tanquam obsceni & scurriles, merito repudiantur. De quibus pulchre *Gryllusna. l. c.* qui tandem addit hæc, quæ omittitur hoc loco non potui: *In laudem crescit morio ex crimine, & ed peritior, quò turpior judicatur. Quia inter histrionum leges est, ut morio sit ingeniosus & graciosus, quia aequè stultus morio est, qui morionem in faciem auscultat.* Quare etiam S. Patres de talibus ludis rigorosè censuere; quorum simili *αξιωμανοουτο Β. Meisneri* hoc *Σημειωσις* claudio: *Profectò si absq; talibus morionum levitatibus nullæ exhiberentur, vel exhiberi possent Comædia: utiq; istas intermittendas potius, quam suscipiendas præstat.*

§. 19. Porro, quod ludos & ingenii, & quibus fortunæ aliquid admixtum est, attinet, quod licet sint in se considerati, nullâ ratione negari potest. Ac quoniam jam jam hujus rei mentionem fecimus in divisione ludi, & exempla dilucidandi gratiâ adduximus in §. 15. hic loci solum pluribus rationibus jam explicatam quæstionem confirmabimus. Dicimus verò ejusmodi mixtos ludos maxime ingenium acuerè, quemadmodum illa species lusoriarum chartularum, quam *Pluquet* vocamus, maxime prodest memoriæ, dum lusor semper in animo secum volvit & revolvit, quasnam ipse, & quas collusor chartulas habeat; docet præterea numerare, & suas quasi copias cum Antagonistæ viribus conferre. Imò tales ludi maxime corpus reficiunt, quod multis hæctenus ferius depressum, illudq; ad ulteriora negotia expediunda excitant. Hoc tamen in hisce ludis præmonendum, ut absint vitia vel concomitantia, ut jurgia, maledictiones, juramenta, verbera &c. vel consequentia, ut neglectio vocationis, emunctio pecuniæ alienæ, suarumq; rerum diminutio.

§. 20. Abs quibus descensum facimus ulterius ad ludos meræ fortunæ, qui si sordidi quæstus causâ instituantur, quin illiciti atq; inhonesti sint, non dubitandum est. Adversantur enim partim expresso juri divino, ubi Deus quemlibet victum summo labore & sudore, quarere jubet, non verò turpi lucro de lusibus vivere. In specie verò tales contrarij sunt VII. præcepto, siquidem hujusmodi collusores tum proximi bona & pecuniam ad se attrahunt, tum suorummetipsum faciunt jacturam, quibus tamen se suosq; sæpè per aliquot annos honestè alere, semq; suam familiarem promovere, imò proximum ege-

num adjuvare potuissent & debuissent. Taceo, quòd peccetur contra jus naturale, quo nemini licet lucrum quærere ex alterius damno, quod in ludo lucri causâ instituto maximè fit. Juri civili quòd contrarietur, certa res est, de quibus Pandectæ, si lubet, evolvendæ, sub tit. de Aleat. & alearum lusu. De quibus quoq; actum in *Excell. Dn. Pres. antè citatâ disputatione de Urbanis*. Præter hæc si collutores pares, taxanda meritò eorum prodigalitas & temeritas, quia absq; ullâ necessitate notabilem pecuniæ summam periculo exponunt: si verò impares, quoniam inferior pauillum, quod habet, propter aliquam spem lucri, ex ditioris re lautiori conceptâ, maximo periculo exponit. Non dicam nunc de ludi fine, cui utiq; tales fortunæ ludi repugnant. Non enim eorum est honesta recreatio & oblectatio, nec in his datur exercitium alicujus virtutis, ad quam solam excitandam, sicut præmia debent publicè proponi, sic etiam constitui ex privatâ consensione: sed potius lucrum notabile cum alterius damno conjunctum intenditur. Præterea perturbationes, execrationes, jurgia & cædes, quæ propter adversam (ut dicunt) fortunam, sæpenuerò parere solent, & immodicam illam pertinaciam in ludo continuando, propter melioris fortunæ spem, quam cum vanâ jacturâ temporis simul pecuniæ amissio sequi consuevit. De quibus vid. *Wendelin. loc. cit.* item *Amesium l. d.*

§. 21. Hoc tamen vicissim dicimus, hujusmodi fortunæ ludos, utpote aleæ, chartarum pictarum &c. utiq; esse licitos atq; concessos, si oblectationis & delectationis ergò tempore & loco convenientibus instituantur. Nam naturaliter in se nihil continent iniqui, quoniam mutuò consensu ad eos descenditur, & uterq; rem suam æquali periculo exponit, & versantur circa res proprias, de quibus utiq; disponere penes ipsos est. Hoc verò præcavendum, ne multa mala interveniant, quam ob rem Magistratus est, dispicere, quantæ summæ deponi debeant, ut *Pufendorf. loc. cit.* dilucidius rem demonstrat. Quod in specie priorem attinet, nimirum lusum aleæ, quod eò uti nō liceat, si separentur vitia, nullus videre possum. Si enim iste ludus per se & naturâ suâ esset illicitus, ille nullò locò, nullò tempore fieri potest licitus, haud aliter ac mendacium & homicidium; sed jactus istos alearum fieri posse, nemo negabit. E. &c. Et si ideò lusus aleæ prohibitus esset, quia est sortis species, utq; omnis fors & fortuna esset illicita, quod

tamen,

tamen fallum & absurdum; cum Deus ipse, optimus Censor, jussisset adhibere sortem tempore Vet. & Nov. Test. In Vet. in hæreditatibus dividendis; In Nov. verò in electione locò Judæ proditoris alius discipuli. Et quid denique ludus aleæ, quia species est sortis, non sit licitus? Dicunt quidem communiter, verbo Dei contrariari hujusmodi ludum, quia jactus aleæ sit temeraria invocatio Dei, & penes eum, quasi extraordinaria Dei citetur Providentia. Sed id negamus & pernegamus, quia nihil magis fit, quam in ejaculatione Sagittæ in altum, quam nemo, licet sit prudentissimus hominum, pro arbitrio ita emittere potest, ut in illud cadat punctum terræ, in quod eam cadere vellet. Cæteras rationes adversariorum pro stabilienâ eâ sententiâ vide resolutas apud *Clariff. Heerebord. in Coll. Eth. l. c.*

§. 22. Quod verò ad posteriorem spectat, nimirum lusum chartularum lusoriarum, seu depictarum, & eò uti nullibi absolute prohibitur, si modò ejus indoles ab honestate non recedat. Nam utique & istud genus ludendi maximè delectat, præsertim si absque spe lucri sit, & saltem, quò ejusdem usu animum reficiamus, instituitur. Quare & de lusu alearum & chartularum lusoriarum graviter disserit *B. Balduinus lib. 4. cap. 4. de Cas. Conf.* ubi de ejus usu & abusu latius fit mentio, imò quid de illis, qui chartas lusorias faciant, sit statuendum. Videatur etiam *Pruckner. in mille quest. pag. 110. & 109.* Breviter id addo, si forsân adhuc alicui dubium resideat, ex eo, quòd lusus alearum & chartularum pictarum jure positivo prohibitos esse deprehendamus, adeoque minimè iisdem delectari licere sequatur. Quod, quemadmodum artis ludi, per se liciti, ex accidente fiunt illiciti, si fraus vel circumventio interveniat; ita vice versâ fortunæ atque misti ludi, alioquin prohibiti, non semper & ubique vituperio & reprehensione digni sint, sed quandoque tolerari & excusari queant, si non sint assidui, vel frequentes, sed moderati, tempestivi, ac doli & fraudis expertes: si item fiant ab his, qui sui juris sunt, post expletam ordinariæ vocationis munia, oblectationis, non questûs gratiâ, sine blasphemis & convitiis & citra rei familiaris dispendium. Cessat enim tùm ratio, ob quam tales ludi aliàs prohibentur. Vid. *Carpz. Præx. Crim. p. 3. q. 134.*

§. 23. Ad ludos fortunæ eommodè referre possumus ollam seu urnam fortunæ, den *Glückstopff*/ quæ ludi species, desinente Pu-
fen

Sandorfio, fit, quando dejecto in urnam certo tesserarum, seu schedu-
 larum numero, inscriptarum & inanium, pretio redimitur facultas e-
 easdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum præscri-
 : ptio præ se fert. De hoc ludi genere quærere solent: An cum ho-
 2 nestate constet? Quod aliâ communiter affirmant, si nimirum ejus
 lex rectè teneatur, ut pretium omnium simul schedarum non multum
 excedat pretium rerum ibi expositarum, justè æstimatarum: & præ-
 terea id fiat autoritate publicâ, in præsentia scilicet certarum à Magi-
 stratu deputatarum personarum, quæ caveant solicitè, ne quid fraudi-
 um molliatur Sortiarius, & urnam seu ollam certò tempore obli-
 gnet, ne fortilegus pro lubitu insignitas schedulas extrahat, & solum
 demonstrèt, non verò simul injiciat. Enimverò cum plurimi ex eâ
 re damnum sentiant, paucissimi commodum, non videtur æquum
 esse, propter unius privati hominis quæstum multorum damnum per-
 mittere. Nec iste acquirendi modus divinæ voluntati ac legibus
 consentaneus habetur; cum præcipue homines stolidi ac simplices
 hæc ratione alliciantur, ut pecuniam perdant, quas prodigendarum
 facultatum occasiones Magistratus diligenter debet præcidere, quo-
 niam vulgus iis abstrahitur ab emendis necessariis, quâ ratione merca-
 tores detrimentum patiuntur, multi quoque ad furta, & alias res illi-
 citas convertuntur. Ut taceam inexplicabiles sortiariorum fraudes
 ac technas, quas ne oculatissimus quidem pervidere potest. *Ali-*
quando tamen, dicit Pufendorfius, l. c. adhibentur sales olla ad col-
ligendam pecuniam, publicis operibus insumendam, vel etiam suble-
vanda aliorum egestati; ubi multò largius solet esse pretium schedu-
larum junctim sumtarum, quàm rerum, quæ ibi expositæ sunt. Ex-
cessus autem iste rationem habet tributi cujusdam ulronei, aut elee-
mosyna, bilari modò elicite. Et hoc genere Belgas uti ad colligen-
dos redditus pro pauperibus, & lucrum, quod exinde capiunt, con-
ferre ad nosodocbia aedificanda, eorumq; redditus instituendos ex Ke-
ckermanno notat. Besold. Disc. de Erario c. 3. §. 10.

§. 24. Tandem addimus ludos & certamina, quibus corpus ex-
 ercetur, & dicimus, eos nullatenus esse improbandos, præcipuè cum
 victoriæ præmium est propositum, modò non sint periculosi, nec in
 pretium ludatur: Nam sanitatem maximè promovent, propter
 corporis motionem, uti hoc videre est in coeteris animantibus, e. g. e-
 quis,

quis, qui, nisi extra stabula militantur, statim claudicantes sunt. Quod si in ejusmodi certaminibus victoriæ præmium proponitur, bene videndum, ne id fiat in rebus ludicris, sed virtute & laude dignis. Præmium verò victoriæ potissimum fit honor, sive lucrum ex publico. Si verò lus de proprio instituitur & incertum proponitur, istud, quod victori cedere debet, exiguum esto, ita, ut, si alter vicerit, alter casum gravem non sustineat: imò ut ne victor de acquisito præmio nihil gaudere necesse habeat. Aliàs si planè de nihilo lusio & certamen fit, uterque lusor lægis erit; sin præmium sperandum, attentius luditur, & corpus & animus melius exercetur. Hoc tamen ante omnia præmonendum, ne certamina admodum sint periculosa, qualium exempla quædam affert *Jac. Menochius de Arbor. Jud. Cas. 400.* de Bononiensibus & Perusinis, apud quos permissum pueris, lapidibus ludere, & se vulneribus afficere. it. de Papiensibus, qui permittebant in oblatione, quæ D. Syro ipsorum tutelari fit, ut offerentes pugnis certent. Tum demum verò vitiantur hi ludi, quando in pretium luditur, h. e. si victus victori pretium pendere tenetur, & quidem tantum, ut uterque magis lucrum, quàm victoriam aut ludendi exercitium spectare videatur. De quibus eruditè differit *B. Wendeler in Diss. quædam de Virt. hom. §. 82.* Nos claudemus cum *S. Ambrosii ad Romanos lib. 1. c. 4.* *Qui in stadio currunt, imitantur præceptis informari atq; instrui, ut unusquisq; celeritate, non fraude contendat; cursusq; quantum potest, ad victoriam properet: supplantare autem alterum, aut manus dejicere, non ausit.*

DEO Trinuni sit laus, honor
& gloria!

C

DeLa

DE Ludis docto dum differis ore, SCHWARTZ,
Non ludis, potius seria gnarus agis.
O utinam hunc omnis ludum Studioſa juvenus
Luderet aſſiduâ nocte dieq; manu!

Sedulitatis enim victricis præmia ferret,
Quæ tibi promittit gratia larga Dei.

*Pœtiſſimo, Doctiſſimoq; Dn. AUCTORI, indefeſſo
ſtudio bonas literas ſeſtantiſcrib. gratul.*

PRÆSES.

Licet omnibus, qui Leucorin noſtram colunt,
Sit cognitum, quàm diligenter artibus
Pulchriorvaces, & augeas bona ingen?
Tui: tamen, quò ſpectet & patrium ſolum
Laudabiles auſus Tuos, clariſſimum
Tua eruditionis & profeſſionum
Specimen dediſti. Quod quidem ut Tibi deus
Magnum domipariat, Tuq; glariſ
Pandat fores, ex inimò corde apprecor.

M. Johannes Müller, Fac. Phil. Adjunctus.

In Honorem

VIRI - JUVENIS

Per-Eximij, Preſtantiſſimi ac clarè docti

DN. CHRISTIANI SCHWARTZ, Luccâ-Luſati,
Philoſophiæ ac Lingvarum Oriental. Cultoris hæcenus ſtremuiſſimi,
Amici mei dilectiſſimi,

Ingenium, labor & conſtantia vincere fertur,
Quod nobis ſacrum cunq; retardat onus.

Sed labor, ingenium, conſtantia fida laborum
Firmat, & ut vires ſumere poſſit, agit,
Forſitan hoc SCHWARTZ nôris: qui ſubdere prælo
Hoſce tui fructus auſus es ingenii.

Perge ita, ne pigeat ſic hunc ungere laborem,
Spondeo TE docti nomina ferre VIRI.

M. MICHAEL BOCCIUS, Erfurdenſis.